

X. Quod ita crude §. 21. meæ Dissertationis statuerim, Christum potestatem absolvendi impiis Ecclesiæ Ministris non tribuisse, falsum est, sed hoc dixi: Christum non tribuisse NB. simpliciter Ministris Ecclesiæ impiis facultatem absolvendi NB. omnes ipsos accedentes numumque offerentes, adeoque simul respexi ad Confitentes impios, non ad solos Ministros Ecclesiæ impios. Iungat, si placet, notam §. 15. subiectam, ubi dixi: *Non hoc volumus, Ministerium Ministri impii inefficax esse &c.* & conferat cum ibidem & in textu dictis verba Dn. LANGII supra in medium prolata.

XI. Restat caput accusationis ultimum de Theologia formularia, in specie: non consultum esse, actibus Liturgicis certas statasque formulas solemnes præscribere. Ast iterum mala fide egit Dn. CARPZOVIVS mutilamque proposuit meam sententiam, quæ universalis non est, sed ita restricta: *licet, pro mixto & misero Ecclesiæ, etiam quoad Ministros eius, statu, qui nunc est, formulis, a Viris, qui S. Spiritum accepere, profectis, in nonnullis negotiis ecclesiasticis uti NB. satius sit &c.* Cæterum loquatur pro me venerabilis memoria ICTUS, meus in Officio, quod Francofurti obii, Antecessor, BRUNNEMANNVS, qui in *Iure ecclesiast. Lib. 1. Cap. 6. Membr. 6.* de Oratione, tan-